Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Marbio 22 (4)

Sigismundus dei gracia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie Dalmacie Croacie etc. Rex. Honorabilibus Secundino Johanni Bartholomeo et Georgio fratribus filiis quondam Egregii Oberti doctoris de Natis de Ast. Graciam Regiam et omne bonum. Honorabiles fideles dilecti. Magnus vestre fidelitatis affectus quem ad nos et Sacrum Romanum geritis Imperium necnon multiplicia probitatis et constancie vestre merita racionabiliter promerentur vt personas vestras dignis attollamus honoribus et familiaritatis titulo decoremus. Hinc est quod nos consideratione et intuitu premissorum inducti vos in familiares nostros gratanter assumpsimus et assumimus per presentes ac aliorum familiarium nostrorum numero et cetui benignius aggregamus Decernentes expresse et hoc Regio statuentes edicto quod vos exnunc inantea vniuersis et singulis libertatibus emunitatibus honoribus priuilegiis atque graciis vbique locorum gaudere et perfrui debeatis quibus ceteri nostri familiares potiuntur et vtuntur quomodolibet consuetudine vel de iure Mandantes igitur vniuersis et singulis Principibus Ecclesiasticis et Secularibus Comitibus Baronibus Nobilibus militibus Clientibus Officialibus Potestatibus Capitaneis Theolonariis Vicedominis Ancianis Ciuitatum Opidorum villarum et aliorum locorum Communitatibus et Rectoribus eorundem Ceterisque nostris et Imperii Sacri ac Regnorum nostrorum Hungarie etc. subditis et fidelibus dilectis quibus presentes exhibite fuerint firmiter et districte quatenus d[illegible] et quociens ad eorum dominia et loca perueneritis vos recomendatos habentes pro personis decenti honore pertractent et condignis honoribus prosequantur Necnon vos cum familia equis curribus valisiis arnesiis et rebus vestris singulis per quoscumque passus portus pontes terras dominia districtus Jurisdictiones Ciuitates Castra Castella Opida villas et quelibet alia loca sua absque aliquali solucione dacii pedagii theolonei tributi Custume gabelle vel alterius cuiuscumque solucionis genere quocumque nomine appellentur Omnique impedimento remoto tam per aquas quam per terram transire stare morari et redire libere permittant. Vobis familie Comitiue vestre vnacum rebus vestris singulis dum et quociens per vos aut nominibus vestris desuper requisiti fuerint de securo et saluo velint et debeant prouidere conductu. Ad honorem et specialem reuerenciam nostre Regie maiestatis Et sicud nobis singulariter voluerint complacere Presencium sub nostri Regalis sigilli appensione testimonio literarum. Datum in Ast Anno domini Millesimo Quadringentesimo Quartodecimo vicesimoquarto die Aprilis Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. ∴ vicesimooctauo ∴ Romanorum ∴ vero Quarto ∴

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854866818-12

DFG

8

8

Privilegium Sigismundi Regis Romanorum

In favorem D.D. Secundini, Jo. Bartolomei et Georgii fratrum et filiorum D. Oberini

N.o 24: I

1414. 7. Aprile. Privilegio di Famiglia ... di Sigismondo Re de' Romani a favore di Secondino, Bartolomeo, e Giorgio fratelli figli del fu Oberino ecc.

Morbio 22 (4)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854866818-12